













CONCIONVM DIEBVS ROGATIONVM PVPLICARVM IVSSV ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC D.D. IOHANNIS ADOLPHI in Ducatibus Slesv. Hols.

AD

Tres ante Dominicam Rogationum vno interjecto proximos, hoc est, 9. 10. 11. Maij dies indictis habendarum textus:

CVM BREVISSIMA EAQVE simplicissima & familiarissima tractationis diatyposi:

SVBIVNCTIS COLLECTArum istis diebus pronunciandarum formulis.

SLESVIGAE

M. D. XCIX.

CONCIONIS
PRIMI DIEI
Pericope.

Psal. XIIII.

DIxit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum.

Iehovah è cœlis prospexit super filios hominum, vt videat an sit intelligens, an sit requirens Deum.

Omnes declinaverunt simul pariter inutiles facti: non est faciens bonum, non est etiam vnus.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum comedentes panem, at Iehovam non invocant?

Non tantum non inconcinnum existimaverim, sed & maximum operæ precium duxerim, harum litaniarum homilias à repetitione & accommodatione textuum anni superioris exordiri, atq; isto pacto ad institutum præsens convenienter accedere.

Breviter itaq; pij doctores inprimis concionem ex Ezech. Cap. 14. tum propositam repetant, eiusq; sententiam auditoribus ad animum revocent, de quatuor primarijs, vniuersalibus, &, vt ita dicam, capitalibus pœnis, quibus peccata hominum se vlturum Deus comminatur. *In*



In accommodatione ostendant, quam verè & palpabiliter iustißimus Deus iustißimas hasce minas nostris hisce temporibus, imo isto etiam anno implerit: Sic vt fateri necesse sit partem istarum plagarum maximam modo nunc nos premere, partem cervicibus nostris imminere.

Sterilitas agrorum & annonæ caritas quanta in his regionibus sit, magno cum dolore quotidie singuli experimur.

Præter bestiolas, vermes, bruchos, aliaq; insecta frugibus terræ rebusq; nascentibus incommodantia, miserè afflixit segetes æstate superiori, vredo illa, seu quocnuq; tandem nomine appellandum fuerit illud Dei flagellum, quo grana in glumis seu folliculis, quæ iam mediocriter habere, feliciter crescere, & perpulchrè augmentari videbantur, vno quasi ictu consumpta, arida, exucca, & prorsus infrugifera reddita sunt, miserosq; agricolas expectata seges vanis illusit avenis.

Quin & bella atq; horribiles regionum vastationes, miserabiles hominum interneciones, horrenda incendia, stupra, crudelißimæ direptiones &c. non ita procul à nobis se ostentant: & sane nostra res agitur, paries cum proximus ardet.

Quid dicam de peste? annon illa magnam Europæ partem hactenus pervasit, & in hisce

etiam terris paßim vires & virus suum effudit.

Dent hic operam Domini pastores, seduloq; laborent, ut pro ratione auditorum ista mala ita ob oculos ponant, quo hæc flagella serio agnoscant, & verè statuant, non facta ista esse nec fieri casu, sed faciente & permittente Domino, qui juxta comminationes in peccata nostra animadvertit.

Interim tamen bonitas etiam & inexplicabilis Dei misericordia prædicanda inculcetur, ut qui non totam in nos iram, quemadmodum meriti fueramus, effudit, sed castigationem immissam sic moderatus fuit & temperavit, ut maiorem misericordiæ & clementiæ quam iustitiæ & meritæ ultionis rationem habuerit.

Hic commonefiant auditores, tum de pœnarum immissarum incredibili & paterna mitigatione, tum de summis beneficijs hoc anno nobis præstitis: respiciantq; singuli in specie ad suos, suorumq; statum.

Hæc cum ita habeant: cum inquam summus ille rerum moderator Dominus Zebaoth & iustitiæ & clementiæ suæ vestigia conspicienda & sentienda, imo palpanda nobis exhibuerit: omnino æquum & necessarium est, ut hisce rectè utamur.

Iusti-

Iustitiæ ostensæ consideratio ad agnitionem peccatorum nos deducat, seriamq; in nobis pœnitentiam operetur. Clementiæ in nos effusæ recordatio ad indubitatam fidem & spem certißimam de clementi & paterna Dei in omnes verè pœnitentes voluntate nos exuscitet. Vtrumq; ad piam vitæ emendationem nos extimulet.

Atq; hoc est, quod singulis totius anni concionibus agitur. Et eandem ob causam hi quoq; dies solennes & sacri habentur, vt peculiariter de hisce commonefiamus: De causa videlicet omnium malorum, nimirum peccato & corruptione nostra: de serio dolore ob peccata nostra: de ardenti petitione veniæ, & deprecatione pœnarum: De filiali in Deum, eiusq; animum plus quam paternum fiducia: & de seria totius vitæ, morum, consiliorum, omniumq; actionum correctione & innovatione.

Et hoc quidem primo die Supplicationum ex proposito Psalmum hunc quartum decimum meditandum proposuimus, vt eius ductu & seria minimèq; hypocritica consideratione singuli ipsi nos agnoscere discamus, quo sint res nostræ loco, & quam sit natura nostra depravata, atq; ab omni bono aversa, ad malum vero quodcunq; propensa inclinataq;.

Ex allegatione enim & interpretatione

Apostolica Rom. 3. certi sumus, hunc Psalmum esse universalem accusationem depravationis & peccati interioris & exterioris in omnibus hominibus ex Adamo modo naturali propagatis.

Constituimus tres prælecti textus partes.

Prima.

Generalis querela est, qua regius Propheta humanæ naturæ in omnibus hominibus corruptionem serio accusat & deplorat.

Eo autem animo singuli attendamus, vt non de aliis, sed de nobis ipsis hic agi singuli certo statuamus.

Memoria docentis hanc partem in tria membra subdividere poterit.

Primum: Quis sit ille, de quo hoc loco psaltes disserat. Dixit, inquit, Insipiens. Intelligit per hunc insipientem omnes omnino homines, quales natura & secundum veterem Adamum sunt, non renati, & salutari agnitione Dei, gratiaq; Spiritus sancti non illuminati. Hi omnes rectè & summo iure nominantur insipientes, ob caliginem mentis, aversionem voluntatis, & contumaciam cordis, omniumq; adeo virium depravationem.

Observanda est diligenter emphasis huius

vocis.

vocis, & tropus pulcherrimis meditationibus ansam præbens. Metaphora enim est ab herbis, foliis & floribus, qui naturali humore destituti pallescunt, marcescunt & decidunt, petita, & ad hominem corruptum, quem succus veræ lucis, rectæ rationis, iudicij, & bonitatis deficit, translata.

Et respicitur hac similitudine, tum ad statum integrum ante lapsum, tum ad statum secutum per peccatum.

Herba primum feliciter enata, & arbor fæcunda ad rivos aquarum plantata, viret, floret & vtilißimis fructibus insigniter cultorem ditat: talis fuit homo ante lapsum: ibi omnia viridia, vegeta, florida, sancta, Deo grata, & fructibus saluberrimis apta: vires integræ, mens perfecta, voluntas sancta, cor Deo adhærens. At per lapsum omnia ista elanguerunt. Adam qui ante lapsum sapuit, post lapsum & in se & tota sua posteritate totus insipiens factus veluti emarcuit, tanquam flos pulcherrimus omni venustate decore & fructu privatus, imo tanquam fœtidum cadaver (respectu prioris vitæ) cui nihil inest probati succi, nihil vigoris vitalis, nihil virium, nihil bonorum fructuum.

Possunt hæc à piè ingeniosis eruditè pingi, & magno cum fructu & convenienti affectu

 illustra

illustrari. Contineant tamen se ingenia intra metas scripturæ, nec ultra terminos cœlitus præfixos, evagentur.

1. Dixit in corde suo: non est Deus. *Non innuit Psaltes, nullas esse de Deo noticias in natura reliquas. Nemo enim est mortalium, qui non naturæ quodam sensu & rationis ductu Deum esse intelligat, ut ostendunt Philosophorum disputationes. Et nota est Pauli sententia ad Rom. 1. Nam & impij & homines extra Ecclesiam aliquid cognitionis divinæ habent, quantum scilicet satis est ad hoc, ut omnis eis scelerum & neglecti Dei excusatio eripiatur.*

Verum hoc docere & deplorare instituit Propheta, tantam esse humanæ naturæ corruptionem & pravitatem, ut magna pars hominum lucem hanc naturæ reliquam Diabolicis & blasphemis cogitationibus & ratiocinationibus obruere & expellere, sibiq; eximere conetur metum Dei, ut statuat non esse Deum, cui nostra studia & actiones curæ sint.

Delere quidem hoc lucis naturalis dictamen & has noticias seu principia naturæ insculpta non possunt impij: Conscientiæ enim testimonium, accusatio & terror, semper detestando huic conatui reclamat, atq; eum damnat.

nat. Interim desperati profligatæq; malitiæ homines, qui sese flagitijs addicunt, & in quævis scelera præcipitant, contra mentis sententiam conantur has noticias extirpare, & quantum possunt apud se obfirmant, non esse Deum malorum vindicem, qui genus humanum respiciat.

In corde suo: *Paucißimi enim aut fere nulli sunt, qui verbis hoc audeant profiteri. Imo reperias, qui de Deo eiusq; cura, providentia, operibus, verbo & iudicio egregiè declamare norint: At hi ipsi factis suis ostendunt, dicere se in corde suo, hoc est, plane statuere, non esse Deum. Omnia enim eorum studia & actiones demonstrant hanc impietatem in latebris cordium hærere, qua sibi persuaserint, quod aut nullus omnino sit Deus, aut si quis sit, quod res humanas non curet: quod profecto cum priore idem est.*

Et hic primus est gradus malitiæ, fons flagitiorum, & fundamentum atq; præcipua causa omnium scelerum, nimirum, dicere in corde suo non esse Deum.

Etenim qui verè in corde suo Deum esse agnoscit, eundem exactorem virtutis & iudicem esse ignorare non potest: atq; ideo pravis suis cupiditatibus frenum haud quaquam laxabit. Vt enim Deum esse, ita & optimum

novit, iustitiæ amatorem & pietatis retributorem, atq; inde rapitur, ut summo studio ipsum colat, & approbare se ei summopere annitatur. Scit enim vereq; & ex animo statuit esse Deum inspectorem, qui iusta & sancta flagitet, approbet & compenset: iniusta autem & iniqua vetet, odio habeat & vindicet. Et omnino maximus est ad veram pietatem stimulus, serio & ex animo statuere esse Deum.

Contra vero homo impietati immersus, & omnis generis flagitijs absq; pudore & metu sese polluens, omni asseveratione & contentione in corde suo dicit non esse Deum. Qui enim fieri posset, ut tot se sceleribus dederet, si serio sentiret patere hæc omnia conspectui Dei, rationem aliquando postulaturi? Ideo Apostolus Iohannes in sua Epistola aliquoties constanter affirmat, illum neq; patrem neq; Christum agnoscere, qui peccato se mancipat, & opera dilectionis in fratrem aliaq; pietatis officia non exercet.

Fiat hic conveniens ad nostros accommodatio: & sint hoc loco pij ministri seduli in demonstrando hoc, quod infinita hominum multitudo etiam apud nos summa hac impietate laboret, qua prorsus excutit omnem de Deo cogitationem, & dicit in corde suo non

esse

esse Deum, unde tanta hominum est perversitas & malitia, sine omni rubore, verecundia, pœnitentia, & emendatione in quævis facinora ruentium.

2. Corrupti sunt. *Explicat vocem supra positam insipiens. Ostendit enim omnes homines in omnibus viribus & motibus prorsus corruptos & plane depravatos esse peccato originali.*

Hic operæ precium fuerit ordine sigillatim & in specie hæc ex scriptura probare & prolixius explicare.

In primis autem pij ad propriam experientiam respicere iubeantur.

Et afferantur exempla Davidis, Pauli, & aliorum sanctißimorum hominum extremè de hac depravatione & corruptione omnium virium querentium & dolentium.

3. Abominabiles facti sunt in studijs suis. *Auxesis sane pathetica & emphatica. Homo qualis iam natura est, abominabilis est seu abominatio coram oculis sanctißimi & omnipotens Dei. Est autem abominabile, à quo quis animo & omni sensu abhorret, adeò vt nec illud videre, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec attingere, imo ne cogitare quidem sustineat:*

Sed

Sed toto illud animo aversetur & execretur: Qualis abominatio homini vivo cadaver est animantis putridum, aut alia res fœtidissima & corruptissima. Ideo in fontibus hæc vox fœtorem turpem significat.

Vides qualis sit homo carnalis & naturalis coram Deo, res nimirum fœtens, putrida, cadaverosa, aversanda, execranda.

In studijs suis, *id est, omnibus suis cogitationibus, consilijs, operibus & actionibus. Quicquid, inquam, vel sapiunt, vel cogitant, vel conantur, vel faciunt homines sua natura, abominabile est coram Deo.*

Quid potest tristius de homine lapso dici? Excitemur per Deum immortalem ad agnoscendam extremam hanc nostram miseriam, idq; in hunc finem: ut serio humiliemur coram Deo, nosq; ipsi submissè subjiciamus, bonitatem ipsius, qua dignatur misereri miseriæ nostræ, admiremur, atq; ad serium studium ex ea eluctandi ipsiq; placendi evigilemus.

Habet & hic industrius verbi divini præco materiam cum pio affectu auditores suos commovendi.

Tertium. Ne quis vero putet pertinere hæc ad paucos tantum homines, neve quis existimet aliquid adhuc in homine reliquum,

unde

vnde tantillum operis verè boni expectandum: hanc vniversalem & communem hominum corruptionem evidentius contemplandam exhibet, inquiens: Non est qui faciat bonum, *hoc est, nemo hominum est, qui sua natura quicquam faciat, quod legi divinæ sit congruum, Deo gratum, & proximo salutare. Multa quidem homines faciunt, multa conantur, multa moliuntur: Sed non est qui faciat bonum.*

Quod enim attinet ad nondum renatos, in illis nulla sunt opera verè bona. Etsi enim multi videntur magnis virtutibus excellere, vt Aristides, Scipio, Cato: tamen revera omnia ipsorum opera sunt coram Deo mala, vt quæ ex malo & impuro fonte, corde nimirum, vera Dei agnitione & timore, vera in Christum fide, quæ sola personam & opera Deo grata efficit, vacuo fluunt, ac à vero scopo aberrant.

Renati si quid boni faciunt, non tam ipsi faciunt, quam Deus in ipsis, qui scilicet efficit, vt intelligant, vt velint, vt perficiant bonum, quiq; sua in ipsis dona probat & coronat. Et tamen illis ipsis operibus multum adhæret vitij, multi asperguntur nævi & defectus ob extremam naturæ corruptionem.

Vrgea-

Vrgeatur & ingeminetur diligenter hæc sententia, non est qui faciat bonum. Et inprimis ad corruptißimos mores perditißimi huius seculi ultimi accommodetur.

Claudatur hæc pars brevi & Pathetica verborum Davidicorum repetitione.

Secunda Pars.

Comprobatio est & confirmatio universalis accusationis sumpta ab ipsius Dei testimonio. Vt enim vates maiori vehementia perditum hominum statum detestaretur & lectori ob oculos poneret: ipsum Deum inducit spectatorem attonitum quasi & stupentem, adeo omnes in universum homines pariter à recta via deflexisse, & in sceleribus quasi computruisse ut nemo prorsus sit, ne unus quidem, qui bene factis studeat, aut sana cognoscat, cogitet, agat.

Sint & huius partis tria membra.

Primum: Quomodo Deus (loquor humanitus) cognoverit seu exploraverit humanam corruptionem.

Iehovah è cœlis prospexit super filios hominum. *Anthropopathia est, qua Deum facit speculatorem & exploratorem omnium hominum, eo instituta, ut rem propositam magis rudiorum animis infigat.*

Estq;

Estq; formula loquendi sumpta à consuetudine hominum, qui audita non statim credunt, præsertim si fuerint nimis absurda, nisi ipsi oculis suis videant rem sic se habere, quali etiam phrasi Scriptura vtitur Gen. 11. & alibi.

Si cui placet, potest explicationem horum verborum reducere ad quatuor quæstiones.

1. Quis? Iehovah.
2. Quid? Prospexit.
3. Vnde? E Cœlis.
4. Quo? Super filios hominum.

Præcipua hic doctrina est, quod David introducit Deum inspectorem & examinatorem vitæ filiorum Adam, vt omnes sciant & cogitent, se in eius conspectu versari, adeo vt nihil eorum quæ agant, imò quæ & cogitent latere eum poßit.

Probetur hoc sententiis & exemplis scripturæ.

Doceat hoc ipsum nos timorem & reverentiam Dei, ne quid in ipsius conspectu audeamus, cuius nos in conspectu hominum pudeat. Qui enim fieri potest, quin à multis facinoribus abstineat is qui serio cogitat habere se Deum observatorem perpetuum?

Secundum: Quid requirit Deus in homine? aut quid spectatum venit? Respondet David: Vt videat an sit intelligens requirens Deum.

Notan-

Notantur hoc loco duæ partes hominis præcipuæ: facultas nimirum intellectiva & affectiva seu voluntas. Hæ enim actionum in homine fere sunt causæ.

Debebat ergo intellectus valere intelligentia, hoc est, rectè agnoscere Deum, eiusq́ voluntatem, rectè iudicare de Deo, & secundum verbum ipsius intelligere & diiudicare vera à falsis, vtilia ab inutilibus, iusta ab iniustis, sacra à prophanis, Deo placentia à displicentibus.

Voluntas hominis debebat requirere Deum, hoc est, Dei timorem perpetuò in conspectu habere, eiq; ex animo servire. Alterum hoc necessario priori est coniunctum.

Vides quæ sint illa quæ Deus ab homine flagitet, quid in homine spectet, & ad quæ inprimis attendat.

Si ergo volumus Deum in nobis aliquid boni & complacentiæ invenire: hisce duobus operam demus, vt scilicet illum quo ad essentiam & voluntatem in filio rectè agnoscamus, ipsiq; ex toto corde serviamus. His, inquam, ornati sanctißimis ipsius oculis nos sistamus, vt habeat, quo in nos respiciens delectetur.

Tertium: Quid vero Deus de cœlo prospiciens super filios hominum deprehendit? Quales eos invenit? ne vnum quidem rectè se exhiben-

exhibentem, sed omnes prorsus abominabiles. O rem miserandam.

Tribus hoc formulis Propheta explicat.

1. Omnes declinaverunt. *Omnes inquit. Idq; postea sine exceptione intelligendum ostendit.*

Declinaverunt, *hoc est, omnibus suis viribus interioribus & exterioribus à Deo & verbo atq; viis eius recesserunt, illiq; quasi tergum obverterunt. Tristissima sane vox. Debebat Dei sacrosanctum verbum esse canon & regula gubernans totum hominem: Debebant omnes omnium hominum vires, inclinationes, cogitationes, appetitus, omnesq; omnium facultatum & membrorum motus, atq; adeo debebat tota natura hominis ad hanc normam exactè composita esse. At vero Deus tale quid in homine non reperit: sed deprehendit, suoq; testimonio contestatur, deflectere omnes omnino homines planeq; discedere ab ea.*

Pluribus hoc illustretur, tum per omnes omnium hominum status & ordines, tum per omnes hominis vires & facultates.

2. Simul pariter inutiles facti snnt. *Iterum vrgeatur vniuersalis particula:* Simul pariter.

Facti sunt inutiles *ad bonum scilicet prorsus mortui, ad malum vero pronissimi. Illustratio est prioris, qua corruptio humanæ naturæ vberius declaratur.*

Inutilis facta est tota natura, corrupta nimirum, & prava inde vsq; à pueris.

Inutilis facta est mens hominis: nulla est in ipsa lux & integritas debita inesse: Sed laborant omnes homines maxima & abominanda mentis cæcitate: Intellectus ignorat Deum, eiusq; veritatem.

Inutile factum est hominis cor, aversum nimirum à Deo, & bono, magnaq; perversitate laborans, & ad malum inclinans.

Inutilis facta est hominis voluntas, omnesq; cupiditates appetentes carnalia, mundana, Deoq; displicentia.

Inutiles factæ sunt omnes vires, & conatus obediendi Deo, suaq; natura homo ceu equus refractarius Deo recalcitrat.

Habent hoc loco industrij concionatores occasionem corruptam nostram naturam pluribus describendi, & ad serios affectus auditores excitandi.

3. Non est faciens bonum, non est etiam vnus. *Tertio repetit hanc corruptionem esse verè & absolutè universalem. Nemo ergo se eximat ex hoc numero, nemo sibi blandiatur, nemo peccata sua palliet, nemo se excuset, aut præ alijs sibi sanctitatem peculiarem tribuat.*

Habes partem secundam, ipsius nimirum Dei de hominibus sententiam & pronunciatum.

Cum igitur ipse Deus iudex perspicacißimus, & contemplator seu spectator acutißimus, sic de nobis censeat: etiam nos verè ita esse statuamus, & serio deploremus, etsi corruptionem nostram extremam non satis perspicere queamus.

Tertia Pars.

Exclamatio est Spiritus sancti, qua cum indignatione & dolore cæcitatem et maliciam humanam deplorat, eamq; notis aliquot exaggerat.

Estq; prima exaggeratio sumpta ab accedente impœnitentia. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem? Non tantum homo plane corruptus, & in omnibus viribus & actionibus suis à Deo aversus est: Sed & hoc ad extremam miseriam accedit, quod paucißimi inter homines tantam suam depravationem intelligant, serioq; agnoscant.

Dedit quidem ad hoc Deus legem suam, vt ex ea nostram pravitatem agnosceremus. Sonat hæc quotidie in Ecclesia: & tum in genere, tum in specie vitiositatem nostram arguit. Accedunt pœnæ divinæ plurimæ, quæ quasi reales sunt conciones & legis divinæ explicationes. Spectant hæc omnia illum finem, vt homo corruptus, quo loco res suæ sint, intelligat, pœnitentiam agat, & remedia divinitus monstrata quærat. Sed quid fit?

hominesenim vt natura, sicut dixi, hæc ignorant: ita tum ad legis conciones tum ad pœnas divinas faciem & cor suum obstinatè & præfractè obdurant. Minas legis rident. Mala incidentia casui fortuito, aut aliis causis adscribunt, itaq; de vera horum causa solliciti non sunt, neq; quæ in verbo Dei proponuntur remedia curant.

Extremam hanc cordis duriciem pii pastores exaggerent, & ostendant, ob hanc ipsam magis magisq; exasperari pœnas. Quid enim magis Deum benignißimum offenderet, & ad iram provocaret, quam quod & ipsi nostram miseriam non intelligimus, & ne quidem ab ipso toties admoniti ad illam cognoscendam, & remedia quærenda excitari nos patimur?

Secunda exaggeratio est in his verbis: Devorant plebem meam comedentes panem. Cum enim Deus semper habeat plebem suam, homines nimirum aliquos seria pœnitentia ad ipsum redeuntes, atq; ipsi se suamq; vitam probare studentes. Hi à reliqua & promiscua hominum multitudine miserè affliguntur & cruciantur. Estq; insignis metaphora in voce devorandi, qua summa multorum protervia, iniquitas & pleonexia significatur, qua in proximum insurgunt, eumq; penitus expilant, spoliant,

ſpoliant, exhauriunt & vexant. Habeat hic quisq; rationem auditorij ſui, & pro cuiuſlibet loci qualitate hæc verba applicet ad iniquos contractus, iniuſtas vſuras, propolarum monopolia, aliasq; impoſturas, & iniurias, quibus tenuiores opprimuntur.

Tertia exaggeratio: at Iehovam non invocant. Eſt & hæc magna pars miſeriæ & pravitatis hominum, quod cum inextremis miſerijs hæreant, Dominum tamen pro liberatione non invocant. Hic teſtimonia ſcripturæ de precum omiſſione allegentur, atq; quantum hoc peccatum ſit, oſtendatur, deniq; ad noſtros auditores accommodetur.

Concluſio cum exordio congruat, & vſum huius concionis ſecundum tria capita expoſita oſtendat. Cum enim eo loco res noſtræ ſint, vt non ſatis exaggerare poſſit Spiritus ſanctus extremam noſtram corruptionem & multiplices contra Deum eiusq; verbum offenſiones & delicta: Quid mirum eſt varijs nos malis indies caſtigari?

Excitent hæc nos ad ſeriam contritionem & deprecationem peccatorum & pœnarum, qua de re cras prolixius.

Ante lectionem Epiſtolæ in ſacris hoc die pronuncietur collecta.

Wy hebben gesündiget mit vnsen vedern/ Wy hebben mißgehandelt vnd syn Godtloß gewesen.

Allmechtige grote vnd stercke Godt / de du mit dinen rechtuerdigen ogen vam Hemmel schouwest vp der Minschen kinder/ dat du sehest efft jemandt vorstendich sy / vnd mit ernst na dy frage / Wy dancken dy vor dine gûdige vederlike erinnering vnd Lehre / dardorch du vns Ogenschinlick thoerkennende giffst vnd antögest welcker de orsake sy alles vngelückes vnd övels / darinnen wy arme Minschen stecken / Nömliken / vnse vordoruene Natur vnd veelfoldige in vnd vthwendige sünde: dat wy nömliken im grunde vnses Herten dy geringe achten / dat wy van Natur nichtes dögen/ vnd nicht einer sy de wat guodes doh / sondern mit allem vnsern wesende ein grûwel syn vor dinen ogen/ alle sint wy affgeweken vnd alle mit einander vndûchtich / vnd js Nemandt de wat gudes doh / ock nicht einer: Vnsere Sünde vnd Oueldadt wille wy nicht erkennen noch mercken/ vnsern negesten beschedigen vnd belei-

beleidigen wy vp allerley wyse vnd mate/ dy rope wy nicht an in vnsern nöden vmb vorgeuinge vnser sünde / beteringe vnsers Leuendes vnd linderinge der straffe. O HErr Hemmelsche Vader / dewyle wy den also vordoruen syn / vnd van Natur solck vnser vnheyl nicht erkennen / veel weiniger vns süluest daruth erredden können: So kum du vns in dissem vnsem groten Elende tho hülpe / vmme diner groten Barmhertichheit willen / öpene vnse ogen vnsern jammer tho bedencken / erwecke vnse Herten van sünden affthostahn / gyff vns dine gnade vnse Leuendt Christlick tho betern / darmit wy also van jegenwerdigem vngelücke erreddet / mit thokamenden straffen vorschonet / vnd vor allem tydtlikem vnd ewigem vnheyll bewahret werden: Dorch den einigen gnadenthron dinen leuen Söhn Jesum Christum vnsen HEren / AMEN.

Epistolæ loco more recepto sit textus pro concione explicandus.

Evangelij vice legatur perabola: Luc. 13. ab initio capitis ad verba: Sin autem, in futurum succides eam.

Preces

Preces finita concione post Litaniam singulis diebus bis dicendæ:

Rope my an spricht de HEre in der tydt der noth/

So wil ick dy erredden vnd du schalt my prysen.

De HEre js na allen de en anropen.

Allen de en mit ernst anropen.

Gnedich vnd barmhertich js de Here.

Gedůldich vnd van groter Gůde.

BArmhertige/ Getrůwe/ Allerleueste Hemmelsche Vader/ de du vns in aller jegenwerdigen vnd vörstanden noth dy an thoropen beuahlen/ ock vns vmme dines leuen Söns Jesu Christi willen erhöringe thogesecht hefffst: Wy bekennen dy vnse veelfoldige dachlike Sůnde/ darmit wy dinen Rechtuerdigen Torn vnd allerley straffe tydtlick vnd ewich vorderff gahr wol vordenet: Wy bidden ouerst allerleueste Godt vnd Vader/ du woldest vmme JEsu CHristi willen vns gnedich vnd barmhertich syn/ den woluordeneden Tohrn lindern vnd affwenden/ vnd in dissen forchliken tyden vor allerley vngelůcke

lücke vnd vnheyll vns behöden. Beschüt-
te vnd bescherme O HEre dine Hillige
Christlike kercke / vnd dines wordes war-
heit: Stercke / regere / erholde vnd bewa-
re vor allem vngelücke lyues vnd der see-
len / vnse gnedigste vnd gnedige Auerich-
eit / Den Dorchlüchtigsten grothmechti-
gen Försten Köninck Christian / vnd den
Hochwerdigen Dorchlüchtigen Hochge-
barnen Försten Hertzogen Johans Adolff
vnsen gnedigsten Köninck / vnd gnedigen
Försten / vnd Heren: Ock König: M.
Fruw Moder vnd Gemählin / de Dorch-
lüchtigsten Hochgebarnen Förstinnen vnd
Fruwen Königinne Sophia vnd Köni-
ginne Anna Catharina / ock F. G. Fruw
Moder vnd Gemählin / de Dorchlüchti-
ge Hochgebarne Förstinnen vnd Fruwen
Hertzogin Christina vnd Hertzogin Au-
gusta / vnsere gnedigste Königinnen / gne-
dige Förstinnen vnd Fruwen / thosampt
der Ertzbischofflichen Bremischen F. G.
vnd der Königlichen vnd Förstlichen jun-
gen Herrschafft / vnsern gnedigsten vnd
gnedigen Försten vnd Hern / Förstinnen

 vnd

vnd Frewlin: Beneuenst J. K. M. vnd F. G. Hochwysen Getrůwen Rykes/ Landt vnd Hoffreden/ der Ridderschop/ allen trůwen Denern vnd gehorsamen Stenden vnd Vnderdanen. Segene dat Hußregiment vnd Christlike kinder tucht/ Behöde vns vor valscher lere/ krych/ pestilentz/ Hunger/ důrer tydt/ Fůres vnd Waters noth/ vnd allen wol vordeneden plagen: In dine Vederlike beschůttinge beuehlen wy vns samptlick van herten an Lyff vnd Seele/ gudt vnd ehren/ vnd allem wat du vns gnediglick hefft gegeuen. Sy gnedich O Here/ sy gnedich/ lath O HEre dyn Angesichte rycklick auer vns lůchten/ dat wy dine vederlike hůlpe sehen vnd mercken/ vnd diner gnedigen jegenwardicheit vns jůmmer mögen van Herten erfröuwen/ vnd dy als vnsen Barmhertigen Godt vnd vader ewichlick lauen vnd prysen/ Dorch dinen einigen Söne Jesum Christum vnsen HEren/ Amen.

Psalmi ante & post Concionem vna cum Litania pro cuiuslibet loci ratione cantentur:

Waket

Waket vp gy Chriſten alle / ſydt nüch-
tern alle thogelick.
Ach Godt van Hemmel ſüh darin.
Idt ſpricket der Vnwyſen Mundt wol.

CONCIONIS
SECVNDO DIE HA-
bendæ materia.
Pſalm. VI.

IEhovah ne in furore tuo arguas me, neqꝫ in ira tua caſtiges me.

Miſerere mei Iehovah, quoniam infirmus ſum: Sana me Iehovah quoniam territa ſunt oſſa mea.

Et anima mea territa eſt vehementer: at tu Iehovah quo vſqꝫ?

Convertere Iehovah, eripe animam meam: Salvum me fac propter bonitatem tuam.

Etenim in morte non eſt tui memoria: In inferno quis celebrabit te?

Defatigatus ſum ſuſpiriis: natare facio tota nocte lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum liquefacio.

Facies mea præ dolore concidit & inveteravit, quoniam vndiquaqꝫ coanguſtor.

Faceſsite à me omnes operantes iniquitatem: quoniam audivit Iehovah queſtus fletus mei.

Audivit Iehouah deprecationem meam: orationem meam Iehovah ſuſcepit.

Pudefiant & contremiſcant valde cuncti inimici mei; repellantur & pudefiant ſubito.

Morbo

Morbo causaq; morbi cognita, proximum est, ut de remediis convenientibus cogitatio atq; cura suscipiatur: Sic cum hesterna concione omnium malorum fontem & scaturiginem ostenderit Spiritus sanctus: hodie quæ remedia tanto malo aptanda sint demonstrat.

Atq; ut hæc doctrina plenius à nobis intelligatur, & penitius animum subeat: in pulcherimo & (quo ad humanitus fieri potest) perfectißimo formulari seu typo ea res ob oculos ponitur, Davidis nimirum suo nobis exemplo præeuntis, & quasi hypotyposin gemituum, affectuum & verborum in vera pœnitentia & conversione vsurpandorum præscribentis. Quid vero piæ menti gratius, iucundius, vtilius, aut efficacius esse potest, quam videre & discere ex tam apto & convenienti exemplo, quales nos in vera conversione esse, quibus motibus & vocibus Deum compellare conveniat?

David enim agnitione peccatorum & iræ Dei penitus conturbatus, variis etiam afflictionibus extremè fatigatus: ab hostibus, morbis, aliisq; malis miserè afflictus, & sic verè humiliatus: ardenti gemitu coram Deo se prosternit, & in hoc Psalmo magno ardore Deum invocat, ut ipsi parcat, & non modo ab omnibus adversitatibus, sed & à terrori-

bus

bus conſcientiæ ingentibus ipſum liberet. Cumq́ non dubitet, preces ſuas divinitus exaudiri: concepta in Deum fiducia, & Spiritus ſancti conſolatione, rurſus ſeſe erigit, magnaq́ animi alacritate hoſtibus & omnibus malis inſultat.

Singuli nos hunc Pſalmum, vt & ſuperius monuimus, ita legamus, explicemus, audiamus, meditemur & repetamus, vt nobis pro noſtra cuiusq́ perſona eum à Spiritu ſancto ſcriptum & præſcriptum certo exiſtimemus.

Secamus hanc Davidis odam in tres partes.

Prima Pars.

Ardens invocatio eſt peccata ſubmiſſè confitens & pro paterna eorundem remiſſione, & malorum meritorum depulſione humilimè orans.

Sint huius partis tria membra.

Primum compellationem habet eius, apud quem hanc confeſſionem edit, ad quem hos gemitus effundit, & à quo auxilium petit. Is eſt Iehovah, quem in ſingulis fere verſibus ingeminando nominat, quod ex textu oſtendatur.

Duo ergo hic diligenter notanda veniunt.

Quis

1. *Quis sit is, cui principaliter, atq; ante omnia peccata nostra fateri, in cuius sinum querelas nostras effundere, & à quo peccatorum remißionem & ex malis liberationem petere nos conveniat: nimirum Iehovah, verus, vnicus & omnipotens Deus: Vt enim is est, contra quem peccando delinquimus: quiq; in nos animadvertendi ius summum habet: ita peccatorum remißio, & offensionum condonatio, ab illo inprimis flagitanda veniunt.*

Et vt ille primaria & præcipua est causa pœnarum nos prementium, ita earundem aversio primitus & præcipuè ab ipso petenda est.

Probentur hæc omnia sacræ scripturæ sententijs.

Et simul ostendatur ex scriptura, quis, qualis, & quantus sit ille Iehovah: vnde moneamur quales nos in nostris ad ipsum deprecationibus esse conveniat.

2. *Notandum: quod toties in prima parte, imò toto hoc Psalmo nomen Iehovah repetitur, vt tædium parere videatur auditori aut lectori delicato: octies enim iteratur.*

Non autem est hæc odiosa aut ociosa tautologia, sed ex serio & ardenti affectu profecta repetitio, admonitionem præbens iucundam & dulcißimam. Agit enim tristißimus David cum Deo, tanquam cum patre benignißi-

nigniſſimo: cum quo, ſicuti humili animo & ardenti cordis fervore colloquitur: ita nominis eius iteratione ſatiari non poteſt, vt & affectum filialem & cordis ſerium conatum oſtendat. Non ſecus, ac ſi liberi coram parentibus proſtrati, culpam remitti & pœnas abrogari petant, crebra appellatione patris aut matris ingeminata.

Hoc quid ſit intelligunt in ſchola crucis exercitati, tentationibus vexati, & pœnitentiæ operam ſerio dantes, idemq́ magno cum fructu & pio affectu explicare poſſunt.

Secundum membrum complectitur ipſam petitionem aliquot formulis expoſitam. Hanc ſeparatim hic colligemus, rationes interſperſas ſuo poſtea loco tractaturi.

1. Iehovah ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua caſtiges me.

Fatetur David toto corde ſe peccaſſe, agnoſcitq; peccata. Hoc enim principium eſt veræ pœnitentiæ, agnoſcere delicta eaq; ſine hypocriſi confiteri. Et in hunc finem heſterna concio nobis propoſita fuit.

Fatetur etiam David ſe pœnas meruiſſe, & iuſtam eſſe iram iudicis Dei adverſus ſe. Pertinet etiam hoc ad veram & ſeriam pœnitentiam, fateri nimirum, ſe iuſto Dei iudicio corripi. Idem & nos ſerio faciamus.

Neq;

Neq; omnino omnem pœnam deprecatur. Sed tantum ne ultra vires puniatur. Non simpliciter petit ne omnino arguatur, sed ne cum furore arguatur: neq; petit ne penitus corripiatur, sed ne in ira Domini corripiatur. Quasi dicat: si omnino me castigare decrevisti, quod me meruisse fateor, humiliter peto, ne irato & quasi furibundo sed paterno animo me corrigas: paternè, inquam, corripias, non iudicis ritu, nec metiaris vindictam peccato meo, & iustitiæ tuæ severitate, sed benignitate iustitiam temperes. Tropus est cum Deo tribuitur furor & ira, non quod sint tales in Deo perturbationes, sed significatur severa Dei iustitia, & intensum iudicium adversus peccatores.

Eodem modo nos quotidie à Deo petamus pœnarum meritarum mitigationem, ne illæ modum excedant, sed ut sufferre valeamus.

2. Miserere mei. *Non tantum pœnam severiorem deprecatur, sed & in genere petitionem gratiæ subinfert. Sis mihi misericors, condona mea peccata, secundum magnam misericordiam tuam, quam in filio Meßia omnibus pœnitentibus & invocantibus promisisti.*

Huc afferantur testimonia scripturæ tum illa, in quibus benignißimus Deus misericordiam suam serio resipiscentibus offert & promittit.

mittit, tum & illa, quæ magnitudinem misericordiæ divinæ extollunt & amplificant. Subjiciantur〈que〉 insignia misericordiæ divinæ exempla. Hæc ita accommodentur, ut verè ob sua peccata dolentibus solatio sint: Interim contra abusum misericordiæ divinæ probè muniantur, adversus securos & impœnitentes procrastinatores.

3. Sana me, *seu recrea me, adhibe medicinam, me〈que〉 confirma tot malis pressum.*

Observentur singulorum verborum pondera & gradus quasi petitionis Davidicæ. Singulæ enim voces suas habent Emphases, & singulas continent commonefactiones. Voce sanandi comparat benignissimum Deum medico, à quo solo petenda & expectanda sit animæ & corporis medela. Ne〈que〉 absurdum est, si quis sentiat Davidem in insigni aliquo morbo hunc Psalmum scripsisse, & hoc verbo sanitatem petiisse. Nos rectè generaliter hanc vocem interpretari possumus de omni pœnarum & malorum genere, de〈que〉 tam animi quam corporis ægritudinibus ex quacun〈que〉 causa contractis. In omnibus inquam hisce malis sanatio à Deo principaliter petenda. Et sane morbi animi quibusvis corporis cruciatibus sunt graviores.

4. Convertere. *Sicut homo iratus avertit se ab eo cui irascitur, & rursus placatus*

convertit ſe ad eundem : ita Deus dicitur ſe avertere ab homine cum iraſcitur, & rurſus converti cum in gratiam peccatorem recipit. In quam ſententiam multa ſunt ſcripturæ teſtimonia. Petit ergo David pœnæ averſionem quaſi dicat: ſatis hactenus me cruciaſti benigniſſime Deus, converte te nunc à priore propoſito, & propitio vultu mihi ſubveni. Quod ni fiat fruſtra laborat auxilium humanum, fruſtraq; adhibentur etiam quæcunq; remedia & media.

5. Eripe animam meam ex immenſis miſerijs, reſtitue animum prorſus confractum, libera ex metu mortis, refice me Spiritu ſancto tuo ne deſperem. Anima noſtra ſub mole peccatorum & metu pœnarum aſtringitur quaſi firmiſſimis catenis, & hæret iam in vinculis infernalibus. Nec quicquam valent omnia conſilia humana, & omnes conſolationes, omnesq; conatus, ad eripiendam unicam unius hominis animam ex terroribus inferni & deſperationis carcere. Solius autem Dei eſt ex illa tortura territas conſcientias eripere & liberare, diſcuſſis tentationibus Diaboli, peccati, & mortis, & donato Spiritu ſancto vivificante & conſolante corda. Hæc praxis theologica in paleſtra quotidianæ pœnitentiæ demum addiſcitur.

Salvum

6. Salvum me fac. *Breviter omnia complectitur. Serva & libera me ab omnibus malis animæ & corporis, tolle pœnas, animi cruciatus, corporis afflictiones, mala publica & privata, famem, bellum, pestem, morbos, paupertatem, omniaq; eiusmodi, quibus misera hæc natura ob peccata premitur.*

Habes, pie lector, membrum secundum in cuius explicatione id operam dabis, vt pondera verborum auditores intelligant, & iisdem vocibus eodemq; sensu Deum quotidie invocent.

Tertium. Rationes habet petitionis, quas hic in vnum locum methodi causa colligo. Et in tres classes redigo.

Prima ducta est à necessitate seu malorum, quibus premitur, magnitudine, acerbitate & diuturnitate.

Magnitudo: Quoniam infirmus sum. *Omnis generis infirmitates animi & corporis complectitur. Deiectæ sunt omnes animæ & corporis facultates, viribus omnibus destituor, planè fractus sum & deploratus.*

Acerbitas: 1. Quoniam territa sunt ossa mea, *metu scilicet periculorum & iræ tuæ. Docet præter exemplum Davidis Physica & piorum experientia, quod in seriis doloribus corpus atq; ipsa etiam ossa languescant, vires omnes exhauriantur, & absumantur.*

In quam ſententiam variæ ſunt maximè in Pſalmis querelæ.

2. Et anima mea territa eſt vehementer. *Cauſam nominat territorum oßium, animæ nimirum terrorem, conſternatæ, & vindictam divinam perhorreſcentis. Hæc animæ perturbatio ob peccatum orta inexplicabilis eſt, & quidem tanta in multis, vt doloris magnitudine victi extinguantur, ideo ſcriptura huiusmodi dolores inferni dolores nominat. Huc exempla Achitophel, Iudæ & aliorum. Intuere exemplum filij Dei in horto pro peccatis noſtris agonizantis.*

Diuturnitas: at tu Iehovah quouſque *iraſceris tuumque auxilium & opem differs? Tacitè queritur David nimis diu ſe hæc mala omnia perpeti.*

Vides imaginem ingenij humani, cui ſemper afflictiones nimis videntur diuturnæ. Vt enim dulcia præcipiti labuntur tempora curſu: Sic in tribulationibus & tentationibus vnus dies inſtar anni nobis eſt. Diutißimè peccare, & carni indulgere, pro nihilo ducimus, & longißimam delinquendi conſuetudinem pro brevißimo temporis momento habemus: at pœnæ etiam moderatæ nobis nimis diuturnæ, nimisque prolixæ perpetuo apparent.

Et

Et habet ſane Deus plurimas cauſas, cur aliquandiu ſub cruce & tentationibus nos detineat, opemq; aliquandiu differat. Omnis curatio, quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur. Nos iugiter inſtemus precibus, donec reſponſum impetremus, tempus Deo nullum præſcribentes.

Secunda ratio: Ab impulſiva: nimirum à natura ipſius Dei eiusq; affectu erga miſeros peccatores ſerio contritos & ad gratiam confugientes. Propter bonitatem tuam. *Oſtendit David ſe non ſuis meritis, ſed unica ſolius Dei benignitate & bonitate niti. Eodem modo & nos ad thronum maieſtatis divinæ in petitionibus noſtris nihil afferamus meriti, dignitatis, aut privilegij noſtri, ſed ſimpliciter reſpiciamus in Dei bonitatem & gratuitam miſericordiam.*

Eiusmodi petitiones Deo ſunt acceptæ, nec poſſunt ab ipſo repelli. Nequit enim Deus contra propriam naturam, contra proprias promiſsiones, contra proprium verbum, imò contra proprium iuramentum nobis bonitatem ſuam negare.

Tertia. Etenim in morte non eſt tui memoria, in inferno quis celebrabit te? *Ratio ſumpta à cauſa finali, ſeu fructu liberationis Davidis. Cupio eripi, cupio ſuperſtes eſſe,*

vt prædicem te inter viuos in Ecclesia in terris militante. Si enim me eripueris è præsenti mortis periculo, memoriam tui conseruabo tuumq; nomen prædicabo.

Magna vero hæc est ratio. Et dicatur de vtroq;. Tum propterea petendam esse liberationem à Deo, vt habeamus occasionem prædicandi inter homines Dei beneficia, bonitatem, clementiam, misericordiam, & in exhaustam sapientiam, vt & nos & alij isto modo excitentur magis magisq; ad agnitionem inuocationem atq; cultum veri Dei, seriumq; pietatis studium: Tum ne perpetuis oppreßi doloribus, tandem ad desperationem adigamur, atq; in infernum, vbi nemo verè Deum celebrat, præcipitemur.

Vrgeantur in hac prima parte diligenter singulæ voces, earumq; emphases probè inculcentur, vsusq; pijs commonefactionibus ostendatur, & auditoribus secundum suos status accommodetur. Inprimis autem de vi & efficacia legis, deq; doloribus conscientiæ hic dicatur, vnde commonefiant auditores, ne peccatum levi pendant, vt quod hominem prorsus enecet, vbi plenè euigilat, nisi Dei benignitate homo eripiatur & consolatione Spiritus sancti reficiatur.

Secun-

Querela est tristißima & hypotyposis ingentis doloris, & quasi paroxismus trepidationis & horroris in animo Davidis. Causæ eius iam nominatæ sunt: Conscientia nimirum peccati, moles afflictionum, sensus iræ Dei, solicitudo pro periculis Ecclesiæ, & suorum, ad quam etiam inimicorum iniuriæ accedebant.

Ingentem hunc dolorem quadruplici verborum genere tanquam signis quibusdam David exprimit.

Primum est gemituum & suspiriorum multitudo ad defatigationem etiam excrescens. De fatigatus sum suspirijs. *Dicit se propter peccata eorumq; pœnas perpetuo gemere: tantamq; esse gemituum suorum magnitudinem et aßiduitatem, vt laboret seu defatigetur in eis, id est ingentes inde molestias & miserias capiat. Ea est tristitiæ natura, vt homini perpetuos gemitus & suspiria pariat.*

Secundum: Sudoris expreßio. Natare facio tota nocte lectum meum. *Non absurdum est hæc verba intelligere iuxta marginalia D. D. Lutheri ad hunc Psalmum, de copiosißimo sudore, quem dicit David emanasse de toto corpore ex metu iudicij divini & abiectionis. Certum enim est in tantam hominem incidere posse angustiam, vt præ*

doloris magnitudine totus ſudet, ſicut oſtendit præter diſputationes Phyſicorum ipſa etiam experientia. *Notetur*: tota nocte, *quaſi dicat, cum aliјs beneficium noctis à te ſit datum, vt à laboribus & moleſtiјs per ſomnum quieſcant & recreentur: Ego perpetuis torqueor animi cruciatibus, vt præ metu inter aſſiduos gemitus & triſtiſſimos ſudores noctem inſomnum ducam.*

Tertium: Lacbrymarum copia. Lachrymis meis ſtratum meum liquefacio. *Tantum lacbrymarum effundo, vt irrigem iјs lectum meum: non eſt modus neq; finis lachrymarum. Quemadmodum enim riſus vt plurimum ſignum eſt latentis in animo alacritatis: Ita etiam anguſtia in corde deliteſcens perfletus & lamentationes ſignificatur. Vnde quidam pulchella metaphora dixit lacbrymas eſſe quaſi ſanguinem vulnerum animi.*

Quartum ſignum. Faciei tabefactio. Facies mea præ dolore concidit et inveteravit. *Vt gemitus & ſuſpiria lachrymæ: ita lacbrymas copioſas & diuturnas tabefactio faciei excipere ſolet. Cordis lætantis vultus floret, animi vero triſtitia affecti vultus mœſtus & demiſſus eſt inquit Salomon in Proverbiјs. Habet & bæc res rationes Phyſicas. Addit David*: Quoniam vndiquaq; coanguſtor,

hoc est, quia propter peccata mea tot premor adversitatibus, & tum intus tum extus miserè affligor.

Post explicationem verborum huius partis subijciatur necessaria & ardens commonefactio de seria contritione, quæ prima pœnitentiæ pars numeratur. Huius insigne exemplum in Davide conspicimus, in quo quanta fuerit peccatorum agnitio, quantus ob eadem dolor, verbis exprimi vix potest. Huc afferantur testimonia scripturæ serium dolorem ob peccata commissa requirentia: Illustreturq; res exemplis.

Hic dolor vbi serius est, signis quoq; externis se conspiciendum vltro præbet, nimirum, gemitibus, querelis, lachrymis, faciei corrugatione & reliquis, vt in Davide, Petro, muliere peccatrice & alijs videre est.

Conferamus per Deum immortalem nos nostramq; contritionem cum hisce exemplis & serio fateamur quam procul ab ijs absimus. Quotus quisq; enim est nostrum, qui serio & ex animo ob peccata sua doleat, vt non dicam de reliquis serij doloris signis. Ad confessionem accedentes vno atq; altero verbo peccatores nos esse fatemur, idq; more potius & consuetudine, quam quod serio propter peccata angamur.

Ex hac ſecuritate multa mala proveniunt.

Poſſunt hæc porro piè illuſtrari & ſancto affectu urgeri, oſtenſo inprimis eo, quam ſit peccatum res horribilis & coram Deo tetra atq; abominanda.

Tertia Pars.

Hæc pars fidei indicia in Davide præbet. Qui enim hactenus quaſi fulmine quodam iuſtæ iræ Dei proſtratus iacuit, iam impetrata certa exauditionis ſpe in corde ſuo conſolationem veram ſentit, ac ideo Deo gratias agens ſibiq; gaudens hoſtibus & omnibus malis inſultat.

Ante explicationem textus in hac parte proponatur breviter generalis doctrina de fide, quæ ſecunda eſt pars, & quaſi anima veræ pœnitentiæ. Dicaturq;, quid & quæ ſit vera fides, qui eius ſerij motus, quibus rebus ſeu fundamentis innitatur, unde concipiatur, quid in hominis corde efficiat &c.

Hac doctrina ita generaliter prælibata, rectius intelligitur textus huius partis, quem etiam trimembrem facio.

Primum membrum increpationem continet, qua David in vera fide certus de remiſſone peccatorum & ope divina impetrata liberatus iam à terroribus & doloribus, læto &

& erecto animo per apoſtrophen hoſtes ſuos compellat inquiens, Faceßite à me omnes operantes iniquitatem.

Nos hypotheſin ad theſin transferentes comprehendamus hic omnia malorum genera, quæ nos excruciare, affligere, tentare & ad deſperationem adigere poßint: qualia ſunt Diabolus, mundus, caro noſtra, legis maledictio, magnitudo peccatorum, & calamitates corporales quælibet. Contra hæc, omniaq; mala etiam nos de clementia Dei gloriari poſſumus. Quando enim verè cum Davide pœnitentiam agimus, peccata noſtra agnoſcentes, eaq; ſerio exhorreſcentes & deplorantes proq; eorum remißione Deum invocantes: verè etiam cum Davide certo ſtatuere debemus & poſſumus, habituros nos clementem Deum, qui ſit peccata condonaturus, mala iuxta beneplacitum ſuum & ſalutem noſtram mitigaturus, opemq; in ſpiritualibus tentationibus & corporalibus miſeriis oſtenſurus. Quemadmodum igitur David in vera fide iubet diſcedere à ſe omnes operantes iniquitatem: ita nos Domino confiſi, vt qui verè iam converſis placatus eſt, iubebimus à nobis recedere omne malum, peccatum, Diabolum, terrores, cruciatus, peſtem, famem & quæcunq; alia, vt quæ Deo iam nobis propitio nihil in nos iuris habere, nihil nobis nocere poßint.

Secun-

Secundum rationem habet huius exultabundæ lætitiæ, quæ est exauditio precum in vera contritione veraq; fide ad Deum effusarum. Hanc terna ingeminatione proponit.

1. Audivit Iehovah questus fletus mei.

2. Audivit Iehovah deprecationem meam.

3. Orationem meam Iehovah suscepit.

Resolve. 1. Quis? Iehovah, Iehovah, Iehovah.

2. Quid? 1. audivit 1. fletum. 2. deprecationem. 2. Suscepit orationem. Nota gradus precum Davidis orationem, deprecationem, questum fletus.

Hic tractetur insignis illa doctrina de certissima exauditione precum ardentium, quod verè Deus etsi ad tempus dissimulet, tandem tamen clementer audiat invocationem nostram, nobisq; necessaria largiatur.

Tertium : Pudefiant & contremiscant valde cuncti inimici mei, repellantur & pudefiant subito. *Non satis fuit Davidi relegare à se hostes suos, sed & insuper gratulabundus & quasi triumphans illis insultat, certus scilicet ab ipsis nihil sibi incommodi accidere posse.*

Poterunt & hic singula verba per analysin explicari.

Quomodo etiam nos singuli suo loco omnibus

bus malis & adversitatibus insultare possimus, exemplo nobis est Paulus Cap. 8. Rom.

In conclusione magno studio & ardenti zelo iterum excitentur auditores, ut diligenter in hoc speculum pœnitentiæ & invocationis Davidicæ intueantur: Idq; operam dent, ut quotidie in se singuli hoc exprimere conentur. Sic dubium nullum fore, quin & nos suo favore clementissimus Deus sit dignaturus.

Collecta ante lectionem Epistolæ.

HEre handele nicht mit vns na vnsen Sünden.

Vnd vorgelde vns nicht na vnser Missedådt.

O Du Aldergüdigeste vnd Barmhertigeste Godt vnd Vader/ dewyle du gistriges Dages vns vnser velfoldigen sünden vnd vordoruenen Natur tho vnser beteringe mit Vederlikem ernst erinnert hefft / so kamen wy hüden wedderümme mit geengstedem Herten vnd demödigem Geiste vor dyn hilliges Angesichte / vnd bidden vmme dines leuen Sönes JEsu Christi willen/ du woldest vnse gebet gnedichlick erhören / vns vnsere sünde vorgeuen / de hoch vnd wol vordenede Straffe

gne-

gnedichlick affwenden/ vnd dy vnser Be-
derlick erbarmen: Ach HEre straffe vns
nicht in dinem Torne / vnd tůchtige vns
nicht in diner grimmicheit: HEre wes
vns gnedich / den wy sint schwack kranck
vnd beengstet: Hele vnd erquicke vns O
HEre/ wente vnse Knaken syn vorschro-
cken: Ja vnse Seele js gantz vorschro-
cken: O HEre wo lange wiltu vns stra-
fen? Wende dy HEre van der Straffe
wedderůmme tho vns mit dinem gnedi-
gen milden vnd woldedigen Angesichte/
vnd erredde vnse Seele / help vns vmme
diner gůdicheit willen / vp dat wy dy hyr
tydtlick vnd dorth ewichlick röhmen vnd
prysen mögen: Vnse sünde bedröuen vns
van herten / wy besůchten vnd bewehnen
desůluigen innichlick / vnd js vns dersül-
uigen haluen angst vnd bange. Wy trö-
sten vns öuerst diner groten vnnthspreck-
liken gůde vnd Barmhertichcit / de du al-
len Bothferdigen Sůnderen thogesecht/
ja tho geschwaren hefft. Darůmme sint
wy gewiß / dat du vnse wehnent vnd fle-
hent erhörest / vnd vnse gebedt annemest/
der-

derwegen so vorlaten wy vns vp dyn hilliges Wordt / gnedige thosage vnd Vederlike hülpe / dar dorch wy van allen Vienden / vngelücke vnd övel / hyr tydtlick vnd dorth ewichlick erreddet werden: Dy sy sampt dinem einigen Söne JEsu Christo / vnd dem Hilligen Geiste / Loff ehr vnd danck / in Ewicheit / AMEN.

Epistola textus explicandus.

Evangelium Matth. 21. Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, &c. ad verba: reddent ei fructum temporibus suis.

Post Litaniam repetantur preces supra positæ.

Barmhertige / etc.

Cantentur hoc die Psalmi.

Vth deper noth schrye ick tho dy.
Erbarm dy miner O HEre Godt.
Godt de Vader wahn vns by.

LECTIO TERTII DIEI

Psal. XV.

IEhovah quis habitabit in tabernaculo tuo? quis manebit in monte sancto tuo?

Qui

Qui ambulat ſine macula, & operatur iuſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo.

Non obtrectat lingua ſua, non facit proximo ſuo malum, neq; proximum ſuum probro indignè afficit.

Contemptus eſt in oculis eius improbus: timentes autem Dominum honorat: iurat proximo ſuo & verus eſt.

Pecuniam ſuam non dat ad vſuram, & munus contra innocentem non accipit: qui facit hæc non dimovebitur in æternum.

In re medica, cauſis morborum cognitis, & remedijs ad ſanitatem recuperandam convenienter & prudenter adhibitis: neceſſaria eſt certæ dietæ præſcriptio; Sic in medicina theologica ſeu ſpirituali.

Continet igitur hic Pſalmus deſcriptionem hominis verè pij, Chriſtiani, Deo accepti, & ſerio ad Dominum converſi, habetq; vim exhortationis ardentis. Dum enim indicat, quæ fieri, quæ vitari poſtulet Deus à converſis, ſimul homines ad illa ſectanda, & iſta fugienda extimulat.

Proinde huius quoq; Pſalmi vſus in Eccleſia perpetuus eſſe & ab vnoquoq; Chriſtiano ediſci & quotidiè recitari hic Pſalmus debet ad excutiendum torporem & teporem in pietate.

Sint & huius Pſalmi partes tres.

Prima

Propositio est Psalmi sub forma quæstionis proposita. Iehovah, quis habitabit in tabernaculo tuo? quis manebit in monte sancto tuo?

Tria sunt in his verbis observanda.

1. *Compellatio Iehovah à quo David quærit, quæ sint facienda, quæ fugienda. Descripturus enim vitam hominis verè conversi, dialogismum instituit, vt magis auditorum animos ad obedientiam flectat, maioremq; orationi suæ autoritatem conciliet. Duo hæc nos moneant.*

1. *A solo Deo discendum esse quæ verè ad pietatem solidam pertineant.* 2. *verè hæc opera, quæ hic describuntur, esse bona Deoq; placentia, ideoq; tutißimè facienda, & contra quæ hic non facienda ostenduntur, vitanda: tum necessario nobis operam dandam vt huic admonitioni pareamus, vtpote quæ divina informatione nobis commendatur. Quicunq; ergo hoc Domini responsum vel depravare, vel corrigere, vel negligere, aut non curare ausus fuerit: Is in Deum Opt: max: non sine magno suo malo iniurius & blasphemus esse putandus est.*

Possunt hæc prolixius evolvi.

Secundo explicandum: quod sit tabernacu-

 lum

ſtum illud Domini, & quis ſit mons ille ſanctus Domini: Loquitur David ad morem ſui populi: Nec inconcinnum eſt voce tabernaculi intelligere Eccleſiam in his terris militantem, nomine montis in cœlis triumphantem.

Concurſus hic eſt multarum vtiliſsimarum meditationum.

Eccleſia in his terris tabernaculum eſt, hoc eſt, coram mundo & ratione carneq; humana fragilis, miſera, deſerta, obſcura, minimè pompoſa, ornata, ſplendens: ſed innumeris iniurijs, periculis & difficultatibus expoſita: In qua tanquam in perpetuo bello absq; inducijs Chriſtiani hoc tentorium incolentes bellum gerunt cum proprijs cupiditatibus mundo & Satana. Pulchrè hæc poſſunt pingi, inſtituta collatione Eccleſiæ in his terris cum tabernaculo.

Et tamen tabernaculum Iehovah eſt. Ipſe enim Deus Eccleſiam agnoſcit pro domo & familia ſua, quam tanquam ſollicitus paterfamilias regit, gubernat, tuetur, defendit & ab ea iuxta beneplacitum ſuum omnia mala arcet atq; propulſat. Dulciſsimè inculcetur, quantum ſit decus & quanta gloria, quam etiam vtile, prorſusq; neceſſarium habere locum in tabernaculo Dei, in Eccleſia, in

Dei

Dei nimirum familia, quam ipse unicè amat, fovet, curat. Et contra, quanta infelicitas quamq; periculosum sit, esse extra hoc tabernaculum Domini, extra gratiam & tutelam Dei, quod idem est, ac si dicas esse sub Diabolo, ab eo regi, & eius opera atq; voluntatem facere ad æternam damnationem.

Ecclesia vero triumphans monti comparatur & quidem sancto Dei.

Monti, quod elevata sit à terreno hoc statu, sitq; in excelsis, probè munita & erecta contra omnes omnium hostium impetus: ad quem montem ascendunt omnes vera fide scalæ Iacobi, filio nimirum Dei incumbentes, & per gradus veræ fidei ascendentes, superato mundo, Satana, carne, morte, omnibusq; difficultatibus. In hoc monte summa est securitas & ab omni malo inviolata immunitas. Insiste quæso huic meditationi in timore Domini.

Sanctus mons est, quia nullus ibi est locus peccato, sed perpetua sanctitate beati Deum vident, audiunt, celebrant: estq; Deus omnia in omnibus.

Dei etiam hic mons est: à Deo enim contingit credentibus: Dei habitatio est, vbi ipse Deus beatis conspiciendum se præbet suaq; luce ineffabili eos complet.

Tertio. Quid ergo est habitare in tabernaculo Domini, & manere in monte sancto Dei, & quæ est sententia huius quæstionis quam diximus in hac prima parte proponi?

Id iam intelligere ex dictis pronum est. Habitare in tabernaculo Domini est esse civem civitatis Dei, esse membrum veræ Ecclesiæ, & domesticum in familia & domo Dei in his terris. Manere in monte sancto Dei, est post exantlatos huius vitæ labores, transferri in cœlestes mansiones vbi beati æternum vivunt securissimi, ex omnibus miserijs & adversitatibus erepti. Manifestus igitur iam est quæstionis sensus: quæritur, inquam, quis verè pertineat ad Ecclesiam Dei, quæ in his terris à Deo colligitur, gubernatur, fovetur & defenditur: Et quis verè reputetur in populo Dei, cui hæreditas divinitus proposita contingat: & quis consecuturus sit promissam æternæ vitæ beatitudinem.

Magna sane hæc & maxime ardua quæstio est, imò potius omnium quæstionum arx & caput, quam rectè intelligere & scire scientia est scientiarum & omnis intelligentiæ cacumen atq; magisterium.

Attendite igitur per Deum immortalem: & qui aures audiendi habet audiat, discatq; summam hanc sapientiam, nimirum qui sint illi,

illi, quos ipse Deus agnoscat pro domesticis suis, & hæredibus regni cælestis.

Secunda Pars.

Responsio est ad quæstionem propositam & iam explicatam, continens descriptionem hominis non tantum titulo sed reipsa Christiani, sumptam ex certis veræ pietatis notis & indicijs.

In explicatione hic ordo teneri potest.

1. Verba Iehovah explicentur.
2. Exemplis illustrentur.
3. Antithesis instituatur.
4. Quæ & ipsa exemplis dilucidetur.
5. Vtrobiq; ad nostros hæc accommodentur.
6. Atq; exhortatione seria concludantur.

Est autem hæc descriptio partim affirmativa, partim negativa, alternativè bis posita, sint itaq; quatuor eius membra.

Primum membrum affirmativum est tria habens.

1. Qui ambulat sine macula. Ambulare sine macula, seu ingredi perfectum, significat ex vera in Christum (qui nostra est perfectio) fide, inculpatam & innocuam vitam ducere, non contaminare se sceleribus, sed sedulo pietati operam dare, anteponere obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi:

ſeu, vt brevius dicam, ſerio totoq; ex animo militare bonam militiam, retinere fidem & bonam conſcientiam, & Deo in iuſtitia & ſanctitate vera ſervire. Non enim poſſunt ſimul cum fide iuſtificante ſtare ſcelera & mala conſcientia.

In voce ambulandi ſimul reſpicitur ad ſemitam ſeu viam. Eſt autem via hominis vocatio ipſius omnesq; vitæ actiones continet. Statua mercurialis oſtendens qua eundum, quod iter tenendum ſit, eſt Lex Dei.

2. Et operatur iuſtitiam. *Iuſtitiæ proprium eſt vnicuiq; ſuum tribuere: idq; tum reſpectu Dei, tum proximi.*

Eſt igitur operari iuſtitiam reſpectu Dei tribuere Deo ſuum: Declaretur vberius iuxta ordinem præceptorum primæ tabulæ, antitheſi adiecta.

Operari iuſtitiam reſpectu proximi eſt propter Deum exhibere proximo ea, quæ lex requirit iuxta præcepta ſecundæ tabulæ quoad ſuperiores, inferiores, pares, atq; ſeipſum. Eſt hic latiſſimus dicendi campus propoſitus. Nec poteſt verus Chriſtianus eſſe qui huic iuſtitiæ non ſtudet.

Inculcetur emphaſis in voce operatur. Non enim conſiſtit Chriſtianismus in perſuaſione pietatis vana, ſeu gloriatione hypocriti-

pocritica verbali, sed requiritur etiam ipsum opus.

3. Et loquitur veritatem in corde suo. *Commendatur nobis diligentia, tum in inquirenda & discenda, tum in propaganda & dicenda veritate. Qui enim loqui veritatem vult, eam prius cognitam habere oportet. Pertinet hoc ad omnes omnium ordinum homines.*

In corde, *hoc est sine hypocrisi, candidè, sic ut sermo verus cordi congruat, apertè, ingenuè, sine simulatione & adulatione, astutia & fuco, ex sincero corde cum proximo loqui & agere. Reprehenduntur ergo omnes subdoli, & fraudulenti homines, in quocunque ordine, non loquentes veritatem ex corde, & se non tam ad ipsam veritatis normam serio & sincerè componentes, quam ad varias technas, proprium commodum, temporum diversitatem & voluntates aliorum accommodantes & inflectentes. Hi non sunt in catalogo filiorum Dei.*

Secundum membrum negativum est.

1. Non obtrectat lingua sua. *Summum profecto & Diabolicum vitium est calumnia. Lingua ut & cætera corporis membra data homini divinitus est, ad gloriam Dei promovendam, & proximi utilitatem provehendam. Ea qui secus utitur non habitabit in tabernaculo*

Domini, nec quieſcet in monte ſancto eius. Non eſt enim filius æterni Dei, ſed illius qui à calumniando nomen habet, hoc eſt Diaboli. Synceræ potius charitatis eſt proximi honorem defendere.

Præbebit hoc loco auditorij cuiusq; ratio occaſionem neceſſariam de his verbis prolixius dicendi.

2. Non facit proximo ſuo malum. *Hic oſtendatur, quis ſit proximus noſter, tum quotuplex malum illud ſit, quod proximo inferri poßit: vnde ſequitur, quid ſit facere proximo ſuo malum.*

Quid inter homines vulgarius eſt quam lædere proximum, illiq; omnis generis iniurias inferre, præſertim ſi quis alijs dignitate, potentia & opibus ſit ſuperior?

Requirit ergo Pſaltes ab illo, qui ius ciuitatis Dei habere deſiderat, vt iuxta normam verbi talis ſit in alios quales alios experiri exoptat, nihil eorum faciat alijs, quæ ſibi fieri nollet: quin proximum diligat vt ſeipſum, & ex caritatis lege omnibus benefaciat.

Prolixè hic de non iniuſtè offendendo proximo, & contra de exhibendis illi omnis generis officijs & beneficijs ſecundum ſtatus hominum dici poteſt. Ex antitheſi oſtendatur,

illum,

illum, qui nulla æquitatis habita ratione proximum sciens volens non coactus ratione officij lædit: illum non esse civem regni Dei, sed potius mortuum Ecclesiæ membrum. Fructus enim arborem arguunt.

Maximè necessaria est præsertim exulcerato hoc seculo pius in inculcanda hac sententia zelus.

3. Neq; proximum suum probro indignè afficit. *Multæ sunt hominum infirmitates, multi lapsus, multæ offensiones, multæ rerum vicißitudines. Est ergo hominis verè pij abstinere ab omnibus convitijs & contumelijs in proximum, sive labentem in aliquod peccatum, sive offendentem te re quapiam, sivè incidentem in aliquam calamitatem & infortunium, aut quamvis aliam ob causam. Fusius hæc explicentur cum accommodatione ad mores nostri seculi.*

Tertium membrum iterum affirmativum est.

1. Contemptus est in oculis eius improbus: timentes autem Dominum honorat. *Quia inter homines, cum quibus in hac vita conversandum est, alij sunt contumaces adversus Deum, & impij: alij autem timent Dominum: ostenditur quomodo verè pius se gerere debeat erga utrosq;.*

Contemptus est in oculis eius improbus.

Vivendum omnino pijs est in mundo & republica, & cum impij quoq; certa, & quidem sæpe magna officia gerant, sivè, vt ita dicam, excellentem personam in theatro huius vitæ sustineant: non possunt pij omnino fugere impiorum consuetudinem: quin civiliter & secundum leges, atq; officium eos venerentur, & cum illis conversentur. Licet igitur propter publicam societatem & tranquillitatem ea præstent impijs & inter impios quæ civilitas & leges honestæ requirunt: tamen operam interim dant, ne sic impios, quantumvis magnos, ament aut honorent, vt eorum impietati aliquid deferre, aut eam approbare vllo modo videantur.

Vrgeatur hoc maximè contra illos Christianos, qui plus quam Protei, scenæ subserviendum, & cum quibusvis amicitiam ac familiaritatem habendam esse putant. Apparet enim hic quam hi sint vani, quàm à veritate aberrent, & quam longè absint à regno Dei, & sancto monte Domini.

Ita tamen hæc tractentur, ne superbiæ aut præfracto contemptui aliorum ex privato affectu promananti locum dedisse videamur.

2. Timentes autem Dominum honorat. *Dixit Propheta, qualis sit pius adversus improbos: nunc qualis sit erga pios ostendit.*

Hi

Hi plerumq; coram mundo vilißimi, & in nullo precio habentur. Nihilominus tamen verè pius eos amanter amplectitur, & pro cuiusq; conditione & merito in honore ac precio habet, atq; reverenter observat. Quia amat & veneratur in ipsis Deum & pietatem: Sicut in impijs detestatur & odit peccatum atq; adeo Satanam ipsum.

Possunt & hæc prudenter illustrari. Concludatur Epiphonemate, quod qui impijs propter opes & potentiam aduletur, & pios propter paupertatem despiciat non habeat partem in regno Dei.

3. Iurat proximo suo & verus est. *In explicatione huius membri doceatur contra Anabaptistas & alios licitum esse per se iurare Christianis.*

2. *Quando & quibus in rebus iurare sit permissum: ubi simul impia imo Diabolica consuetudo ad verbum quodlibet in rebus nibili, levißimis, imo & turpibus nulla necessitate iurandi, vero zelo taxetur.*

3. *Quid sit pium & Christianum iuramentum.*

4. *De verbis:* & verus est, *quib. duo notantur.*

1. *Quod pius ea tantum iuret quæ vera sint, falsa autem iuramento non confirmet.*

2. *Quod servet promissa iurata: quæ scilicet sine impietate servari poßint.*

Quartum membrum, rursus negativum est.

Pecu-

1. Pecuniam suam non dat ad vsuram.
Admonitio maximè necessaria hoc præsertim seculo & hisce rerum omnium difficultatibus. Verè enim nunc fit quod supra dicebatur: Devorant plebem Domini. Hic quilibet pro fori sui ratione ad speciem descendat. Neq; deerit vllo loco materia necessariæ reprehensionis, vbi ostendatur, quam sit hoc peccatum horribile allegatis testimonijs scripturæ contra vsuras, Exod. 22. Levit. 25. Devt. 23. Prov. 28. Ier. 15. Ezech. 18. 22. Nehem. 5.

Interim ne laquei conscientijs inijciantur, addatur longißimè ab vsuris distinguendos esse legitimos, honestos, pios & necessarios contractus emptionum, venditionum, locationum & conductionum, quatenus intra certas metas se continent. Quid enim vsuræ nomine damnandum sit leges sacræ & politicæ definiunt. Neq; sunt inter vsuras numerandi contractus, qui honestis legibus civilibus approbantur, si omnibus modis habeatur ratio proximi pauperis & nostra ope indigentis.

Secundo. Et munus contra innocentem non accepit. *Hoc est qui muneribus se corrumpi non patitur, vt vel iniustam sententiam contra innocentem ferat, vel in re mala & iniqua operam suam locet, vel proximum falso testimonio gravet, vel eundem damno aliquo afficiat, vel alio quovis modo ob dona & emolumen-*

lumentum privatum à pietate coutra Deum & proximum se abduci aut averti patiatur. Pertinet hoc ad omnes omnium ordinum & statuum homines.

Habes descriptionem veri Christiani: Nunc de præmijs pietatis audiamus.

Tertia Pars.

Qui facit hæc non dimovebitur in æternum. *Promißio est felicitatis verè piorum.*

Si quis velit, subdividet hanc partem in tria membra.

1. *Cui ascribat Spiritus sanctus hanc felicitatem:* Qui facit hæc.

2. *Quid ergo illi continget?* non dimovebitur. *Premitur verè pius multis adversitatibus: sed non dimovebitur. Enumerentur hic variæ afflictionum species: Singulis tamen in consolationem piorum opponatur hæc vox:* non dimovebitur.

3. *Quam diu hæc piorum felicitas durabit?* In æternum: *Si nimirum in vera pietate perseveraverint usq; in finem.*

Illustrentur verba & sensus huius partis: addita antithesi, quod qui hæc non faciant contrà infelicißimi sint, & in hac vita & in æternum.

Et potest hoc loco, si tempus ferat, uberius dici de causis finalibus seu præmijs & fructi-

fructibus bonorum operum & novæ obedientiæ.

Interim singula prudenter muniantur, ne merito operum iustificatio aut salus tribuatur.

Concludatur hæc concio brevi & nervosa rerum his diebus propositarum repetitione, & relinquantur aculei in animis auditorum ad pietatem seriamq; vitæ emendationem accommodati.

Precatio ante Epistolam.

Godt sy vns gnedich na diner Güde.
Vnd vordelge vnse Sünde na diner
groten Barmhertichheit.

BArmhertige / Holdtselige / vnd truwe Godt allerleueste vader / dy sy loff vnd danck vor dine vederlike vnderwisinge / dardorch du in der hüdigen lection vns lerest vnd vnderrichtest / wo wy vns eines nien gehorsams beflitigen vnd vnse Leuendt dermaten anstellen schölen / darmit wy in diner hütten wahnen vnd vp dinem Hilligen berge bliuen mögen / wy erkennen O Leue Vader vnse grote swackheit vnd gebreken / dat wy solckes ahne dine hulpe nicht mit ernst tho herten nehmen / veel weiniger im wercke vulbringen können:

nen: Erwecke derwegen dorch dine krafft
vnse sinnen/ Vnd bereide vnse herten/dat
wy in stediger betrachtinge dines wordes
vn̄ willens in dissen hilligen dy wolgefelli-
gen wercken vns öuen vnd vor dem wat
dy nicht gefeldt / vns höden dat wy ahne
wandel her gahn / vnd recht dohn/ vnd de
warheit van herten reden/dat wy mit vn-
ser tungen nicht achter reden / vnsem ne-
gesten nicht quades dohn / vnd vnsern ne-
gesten nicht hönen: dat wy de Gottlosen
nicht achten/sondern ehren de Gottfrüch-
tigen / dat wy vnsem Negesten schweren
vnd idt holden: dat wy vnse geldt nicht vp
Woker dohn / vnd nene geschencke auer
den vnschüldigen nehmen: Dit woldestu
O Here Hemmelsche vader dorch dinen
Hilligen geist in vns armen gebrecklichen
minschen wercken/dat wy dy in Hillicheit
vnd gerechticheit denen mögen vnser Le-
uendtlanck / vnd also dorch dine gnedige
barmhertichheit nha diner vorhetinge vor
allem vnheil liues vnd der seelen gnedich-
lick bewahret vnd in dinem ryke ewichlick
erholden werden mögen / dorch dat düre
blodt

blodt vnd Hillige genochdondt dines leuen Sönes Jesu Christi de mit dy vnd dem Hilligen geiste Leuet vnd regeret warer Godt hochgelauet in ewicheit/ Amen.

Epistola textus explicandus.

Evangelium Luc. 15. Parab. de ove & dragma perditis: incip: Ait ad illos Parabolam, fin. Ait autem: Homo, &c.

Repetantur & hoc die post Litaniam preces superiores.

Barmhertige / etc.

Psalmi cantentur.

Vader vnse im Hemmelryck.
O HEre Godt begnade my.
Allein tho dy HEre Jesu Christ.
Idt syn doch salich alle de.